



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De potestate condendi leges, sive constitutiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

in plures species subdividi possunt, ut alia dicatur Canon, Constitutio scil. edita in Concilio; alia dicatur Decretum, Constitutio scil. edita à Pontifice de consilio Cardin. ad nullius consultationem, alia dicatur Epistola decretalis, Constitutio scil. à Papa, ad consultationem alterius, vel cum, vel sine consilio Cardin. scripto transmissa & publicata; aliæ denique alijs nominibus appellentur, juxta *Gloss. dist. 3. in summa v. omnes*: hodie tamen sæpe pro synonymis, sæpe in alium sensum ea accipiuntur.

## §. II.

*De potestate condendi leges, sive constitutiones.*

**R**esp. 1. Constitutiones Ecclesiasticas posse condere in primis Summum Pontificem & alios Prælatos obtinentes jurisdictionem Episcopalem (juxta limites tamen suæ jurisdictionis) *c. fin. de off. legat. c. 1. & 11. §. 2. de majorit. & obed.*

**R**esp. 2. Posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere Concilia, generale quidem, potest facere Constitutiones, quæ totam Ecclesiam obligent, si tamen illæ à Pontifice, ut tales approbentur: Provinciale verò vel Diocesanum, infra limites suæ jurisdictionis *Can. Catholica dist. 11.*

**R**esp. 3. Posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vacante sede, pro tota Diocesi; & alia collegia inferiora Ecclesiarum, saltem in rebus minoribus, pertinentibus ad suæ Communitatis administrationem, si tamen in vim statuti hæc talia obligent.

**R**esp. 4. Communitates etiam, seu Ordines Religiosos, eorumque Prælatos posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere, juxta modum in regulis earum, aut consuetudine, vel per privilegia præscriptum, quorum omnium ratio est, Jurisdictio ad gubernandum concessa, quæ sine legum ferendarum potestate subsistere non potest.

Leges verò politicas sive Civiles facere possunt, 1. Summus Pontifex in terris temporali suo Dominio subjectis; Imperator pro imperio, Reges alij aut Principes supremi, vel liberæ Republicæ, pro suis provincijs; aliique secundum limites suæ, sibi, à jure, vel à supremo Principe concessæ, aut per præscriptionem, consuetudinem vel per reservationem obtentæ potestatis, prout ex varijs legibus habetur, & probat jus gubernandi, vario tamen modo juxta voluntatem conferentium tale jus, restrictum.

## §. III.

*Quousque se extendat legislativa potestas humana.*

1. **N**on extendit se potestas legislativa humana ad ea immutanda, vel relaxanda &c. quæ sunt juris naturalis, Divini aut gentium præceptiva aut prohibitiva &c. (neque enim inferior potest legem superioris abrogare, aut dispensando eam relaxare) potest tamen legislativa humana potestas mutare, aut tollere, non tantum ea, quæ sunt juris positivi humani, juxta Statum sui conditionem, sed etiam ea, quæ sunt juris naturalis &c. permissivi tantum, sicuti enim ars naturam, ita lex humana positiva per-